Jaśnie Wielmożnemu JX. Jędrzeju

Wolskiemu

Kanonikowi Kaliskiemu Katedralnemu

Proboszczowi Żmierzynickiemu

Kommissarzowi Biskupiemu

Eremu Bielanskiego

na Żmierzynau

J. N. J.

DISPUTATIO PHYSICA
DE

CAUSIS MINE-RALIUM,

Quam

CONSENSU SUPERIORUM,

IN ACADEMIA REGIOMON-TANA,

PRÆSIDE

M. HIERONYMO GEORGI,

Elector. Alumn. & Comm. Convict. Inspect. Secund.

Publicè tuebitur

CHRISTIANUS LEPNER,

Reg. Pruss.

Ad diem 16 Junii Ann. MDC LXXXVIII.

H. Lq. S.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND. ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ
PER ORBEM CELEBERRIMÆ,
VERE ILLUSTRIS,
PATRIBUS CONSCRIPTIS,
MAGNIFICO
DNO. RECTORI,
UT ET
AMPLISSIMIS DOMINIS
SENATORIBUS,
VIRIS MAXIME REVERENDIS,
CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,
EVERGETIS MEIS AC STUDIORUM MEORUM PROMOTORIBUS DEVENERANDIS,

Specimen hoc Academicum, cum calidô
omnigenæ prosperitatis votô,
submissâ manu

Gratus offero
CHRISTIANUS LEPNER.

§. I.

Mineralia dicuntur à minera. Minera verò, notante Voſſio Lib. II. de Vitiis Sermonis cap. IX. matricem deſignat, ſive venam terræ metallicam, prout voce hâc utitur Aurea Bulla Caroli IV. Unde mineralia nihil aliud erunt, quàm metallica, quæ in venis terræ metallicis oriuntur. Verùm latiùs adhuc vocabulum hoc ſumitur. Dioſcorides enim omnia ſubterranea metallica vocat. Ad ſubterranea autem, ſeu ea, quæ in terra generantur, non tantùm Metallica referuntur, verùm etiam Foſſilia, quemadmodum ea diſtinguit Ariſtoteles Lib. III. Meteor. cap. VI. In genere itaqve mineralia corpora erunt perfectè mixta inanimata, ſive ſint Metallica ſive Foſſilia, ut obſervat etiam Andreas Libavius Lib. I. Comm. Metall. Horum cauſas inveſtigare non abs re fuerit iis, qui Mineralium ſcientiâ imbui volunt. Tunc enim unumquodqve cognoſcere putamus, cum cauſas primas noverimus, & principia prima, & usqve ad elementa, Lib. I. Phyſ. cap. I. Vt verò hinc disquiſitio noſtra procedat, illico ex Lib II. Phyſ. cap. III. §. 2. 3. ſeqq. obſervandum, quatuor dari cauſarum genera, materiam, quæ id dicitur, ex quô inſitô aliquid fit; formam, quæ eſt λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι, ſeu ratio eſſentiæ; efficientem, unde eſt primum mutationis vel quietis principium; & deniqve finem, qui eſt τὸ οὗ ἕνεκα, ſeu id, cujus gratiâ. Conf. Lib. V. Met. cap. II. Quæ an omnia, an aliqua ſaltem in Mineralibus obtineant, quæqve ea ſint, videndum. Atqve materiam quidem haudquaquam eſſe excludendam, nemo eſt, qui non concedat, ratum habens inconcusſum iſtud Phyſicorum axioma, ex nihilô nihil fieri, quod proinde apud Philoſophum non unô in locô extat. Vid. Lib. VII. Met. cap. VII. Lib. XI. cap. II. Sed quæ ſit illa materia, non omnes idem ſentiunt. Ut autem ſententias has eò melius dijudicare

valeamus, paulò altiùs mineralium diſtinctio eſt repetenda. Vidimus ex Ariſtotelis locô citatô, quod duplicia ſint, Foſſilia, ὀρυκτὰ, & Metallica, μεταλλευτά. Addendum nunc ex ipſô, quod & Foſſilia ſint duplicis generis: alia, genera lapidum illiquabilia; alia, quæ humidô ſolvuntur, & ab Ariſtotele pulveres colorati vocantur. Inde mineralia in univerſum erunt triplicia: Metalla, Lapides & pulveres colorati, qui aliàs terrarum nomine veniunt.

II. Quando jam quæritur, quænam mineralium ſit materia, à Chymicis, quantum ad Metallica attinet, reſpondetur, quod ſulphur & argentum vivum: ex ſulphure enim, tanquam ſemine maris, & ex argentô vivô, tanquam menſtruô, coagulari metalla dictitant. Verùm nullô negotiô, præeunte nobis acutisſimô Cæſalpinô, ex Lib. III. de Metall. cap. I. materiam hanc & ſimilem aliam rejicere poſſumus. Sunt enim tam ſulphuris, quàm argenti vivi, fodinæ propriæ; in metallis autem neutrum invenitur, niſi fortè raró. Quî igitur ſulphur & argentum vivum metallorum forent materia? A Chymicis diſſentiunt quidam Philoſophi, quos inter eſt Albertus, ſtatuens, aquam, ut omnium liquabilium, metallorum materiam, eamqve unctuoſam vel viſcoſam, non tamen cremabilem, ut ſulphuris. Hanc materiam, inquit, coctione, non aſſatione perfici, & in metallum converti. Sed nec deſunt, qui hanc quoqve impugnent, quia, teſte laudatô paulò antè Cæſalpinô, pingvedo nulla reperiatur incombuſtibilis. Alii igitur ex Philoſophis aliam excogitârunt metallorum materiam, eamqve aqueam, pauco terreo admiſtam, unde perſpicuitas auferatur. Hunc humorem, addunt, à frigore congelari, & in metallum verti. Sed admodum frigida eſt hæc ſententia, eôdem Cæſalpinô judicante. *Quid enim*, ſunt verba ejus, *non aquâ, & terrâ conſtat miſtorum, quæ hîc ſunt?* Vult dicere, nimis remotam hanc eſſe materiam, quòd omnia

mixta

mixta ex aquâ conſtent & terrâ. *Præterea quâ ratione lapidum perſpicuorum generatio diſtabit apud eos? ponunt enim aquam eſſe à frigore congelatam. At verò neq; lapides opaci & fuſibiles diſtabunt à metallis. Amplius nullus humor aqueus frigore denſatus ductilis eſt, ſed fragilis, ut glacies. At metalla ductilia ſunt & preſſilia.* H. I. Meliùs igitur fortaſſis Albertus humorem poſuit pinguem, non frigore, ſed calore addenſatum, cùm multi ſucci videantur poſt eorum incraſſationem preſſiles eſſe, ut lac, ſucci plantarum. *Sed tamen*, pergit idem Cæſalpinus, *à Peripateticâ diſciplinâ & ipſe recedit, neq; ſolùm ipſe, ſed quicunq; humorem materiam ponunt, ſive à calidô, ſive à frigidô condenſatum.* Rationes ejus ſequentes ſunt duæ. Nam I. ſi metallorum materia humor aliquis eſſet, qui incraſſaretur, reperiretur is in fodinis metallorum, & ſub aſpectum caderet, vel nondùm denſatus, vel non integrè denſatus. Aſt nullibi apparet. Deinde II. poſſemus etiam corpora mollia, ut plumbum, & ſtannum, per ampliorem decoctionem indurare. Hoc verò non contingit: nam in igne utrumqve evaneſcit, & in fumum abit, aut relinquitur aliquid, quod metallum non eſt, ut ſcoria. Si quid autem remanet in formâ plumbi aut ſtanni, eandem mollitiem & fuſionis modum habet, ut prius. Metallorum igitur materia, ſive à Chymicis, ſive à Philoſophis allata, conſiſtere nequit.

III. Nec meliorem experitur ſortem Foſſilium materia, à quibusdam poſita. Et quidem ex Foſſilibus, cum omnia percurrere animns non ſit, ob brevitatem, materia lapidum. Hanc quorundam, perſpicuorum nempe, ut Cryſtalli, Berilli, Adamantis, Carbunculi, &c. Albertus dicit eſſe aqueam, non tamen ſimpliciter, ſed admiſtam terreo tenui, à quo vehementer eſt paſſa & condenſata, cum aliàs in lapidis duritiem non tranſirent. Verùm rationes ejus tanti non ſunt, ut hanc nobis ſententiam perſvadeant. Quod enim perſpicuitatem

tatem attinet, ex quâ aqueam dictorum lapidum materiam colligit, ſtringens illa neutiquam gignit argumentum, ſed potiùs fallaciam conſequentis. Neqve enim ex eô, quod perſpicuum eſt, ſtatim infertur aqueum, quia perſpicuum latiùs patet, quàm aqueum. Dicitur namqve perſpicuum non tantùm de corporibus humidis, verùm etiam de terreis, veluti de quibusdam ſalibus, nec non de lapide ſpeculari, imò de omnibus elementis, quæ, cùm alba ſint, ut apud Ariſtotelem Lib. de Coloribus habetur, etiam perſpicua eſſe neceſſe eſt. Inde vera fortaſſis videtur hæc propoſitio: aqueum eſt perſpicuum, non tamen contrà, quod perſpicuum eſt, ſtatim etiam exiſtit aqueum, cùm perſpicuum ad plura referatur, ut ex antè dictis conſtat. Neqve tueri etiam poteſt ſuam ſententiam autoritate Ariſtotelis, dicentis, Cryſtallum fieri ex aquâ, calidô univerſaliter remotô, dum κρύσταλλον nominat πῆξιν ὑγρȣ̃ καὶ ψυχρȣ̃, *congelationem humidi & frigidi*, lib. II. de Gen. & Corrupt. Cap. III. Latet enim æquivocatio in voce Cryſtalli. Dicitur videlicet cryſtallus non ſolùm de gemmâ, quæ eſt colore candida, perſpicua, & hexagona, verùm etiam de glacie, quæ ob ſimilitudinem ita nuncupatur. Locus apud Ariſtotelem occurrit Lib. de Mundo Cap. IV. ubi hæc habentur verba: Κρύσταλλος ἀθρόον ὕδωρ, ἐξ αἰθρίας πεπηγός. Quæ Budæus, Vir eruditiſſimus, ita tranſtulit: *Glacies eſt aqua, conferta à ſerenitate compactilis*. Quando jam Ariſtoteles dicit, Cryſtallum ex aquâ fieri, glaciem intelligit, non gemmam. Commiſſa igitur eſt fallacia Æquivocationis. Deniqve nec hoc Albertum juvat, quod aqua pluvialis in montibus Pyrenæis, ex virtute loci, denſetur in lapidem: nihil enim & exinde pro materiâ aqueâ lapidum firmiter concluditur. Videtur ſubeſſe fallacia Accidentis: conjunctum enim eſt humidum cum illâ condenſatione, ſine quô ſiccum non glutinatur, adeoqve confert quidem aqua illa, vel humidum iſtud, ad lapidum condenſationem, ſed neutiquam materia illorum lapidum exiſtit. Idem quippe accidit

cidit

cidit, quod calci. Poſtquam enim aqua calcem ſolverit, quod ſolutum eſt, iterum coit in lapidem, abſcedente aquâ. Quis verò inde affirmaret, calcis materiam eſſe aquam? Non enim aqua illa concreſcit, ſed terreum, quod latet in aquâ, cum ab ea ſeparatur. Conferatur Cæſalpinus Lib. II. de Metall. cap. II. prolixùs de his diſſerens, & illuſtrationis gratiâ adhuc afferens pulverem puteolanum, qui decidens in mare, ob ſalſedinem hujus, concreſcit & lapideſcit, nec non gypſum, quod, quâcunqve aquâ affuſâ, in duritiem lapideam concreſcit. Patet itaqve ex his, quod ex Foſſilibus quoqve lapidum materia minùs rectè à quibusdam ſtatuatur.

IV. Quæ igitur, inquis, mineralium erit materia vera atqve genuina? Ex ſummô Philoſophô eandem addiſcere licet accuratiùs penſitantibus Caput ultimum, VI. circa finem, lib. III. Meteor. Datur ſecretio, ἔκκρισις, non tantùm in locis ſupra terram, ſed etiam ſub terrâ. Ab hâc ſecretione proveniunt ἀναθυμιάσεις i. e., exhalationes. Ex his exhalationibus ἔργα ſeu opera quædam fiunt, ut ſupra terram, qualia ſunt Meteora, ita hìc, in terrâ, qualia ſunt mineralia. Jam exhalationes hæ ſunt duplicis generis: altera ἀτμιδώδης ſeu vaporoſa, altera καπνώδης ſeu fumoſa. Hæ duæ exhalationes quia reperiuntur in terrâ, duo etiam eorum, quæ in terrâ generantur, ſunt genera, Foſſilia & Metallica. Δύο αἱ ἀναθυμιάσεις, ἡ μὲν ἀτμιδώδης, ἡ δὲ καπνώδης· Δύο καὶ τὰ εἴδη τῶν ἐν τῇ γῇ γινομένων· τὰ μὲν ὀρυκτὰ, τὰ δὲ μεταλλευτά. ſunt verba Philoſophi noſtri. Inde Foſſilium materia eſt exhalatio fumoſa, dicta etiam Ariſtoteli ξηρὰ, id eſt, arida vel ſicca, ἥτις ἐκπυροῦσα ποιεῖ τὰ ὀρυκτὰ πάντα, ut verba ipſius habent, id eſt, quæ, poſtquam efflagravit, efficit omnia Foſſilia. Metallicorum verò materia eſt exhalatio vaporoſa ac humida, quæ in lapidibus propter ſiccitatem in unum contrita & condenſata, veluti ros & pruina, quando fuerit ſeparata, ἐν τοῖς λίθοις, διὰ ξηρότητα εἰς ἓν συνθλιβομένη, καὶ πηγνυμένη, οἷον δρόσος ἢ πάχνη,

ὅταν

ὅπου ἀποκριθῆ. Hâc de causâ materiam hanc partim aquam dicit, partim minimè. Aquam ideo, quia δυνάμει & potentiâ aquæ erat; minimè autem aquam, quòd ex aquâ per aliquam passionem non producatur, ut humores aliqui. Si tamen Metalla ex hâc materiâ generari debent, necesse est, ut prius exhalatio illa sit condensata & concreta. Inde enim omnia Metalla igniuntur & scorias abjiciunt, exceptô aurô, ac terram habent, quia etiam siccam habent exhalationem.

V. Sed hæc multis ad palatum non sunt. Exhalationem enim, Mineralium materiam, vel planè non agnoscunt, vel non semper. Quod Metallica attinet, Jungius, aurum & argentum varias induere posse, asserit, species, pulveris v.g. salis, liquoris, halitûs, & tamen manere aurum, indeqve exhalationem seu halitum non esse materiam metallorum. Sed quid inde? Nihil aliud quàm hoc sequitur, quod non omnis halitus vel exhalatio sit metallorum materia, quod verum esse non diffitemur. Unde hactenus elenchus hic est apparens. Si verò edisserat, non omnem proximam Metallorum materiam sub specie exhalationis occurrere, petit τὸ ἐν ἀρχῇ, cum id ipsum in controversiâ sit positum. Quod verò nec semper exhalationes Metallorum sint materia, Burserus in Introductione sua ad Scientiam naturalem Lib. II. cap. XV. exinde vult evincere. *Undenam*, inquit, *tanta idonearum exhalationum copia jugiter proveniet?* sed nos vicissim: unde tanta exhalationum copia, ex quâ generantur Meteora? Si his sufficiens est, quidni & Metallicis producendis? Quando verò idem asserit, *exhalationem nullam esse, quando ferrum transit in cuprum*, supponit, subterranea inter se invicem materiam suppeditare, ex quâ, certâ ratione, unum in alterum, aut duo in aliquod tertium, vel tria in quartum, vi generationis, sæpissimè transeant. Putat enim, id, quod terræ nomine venit, non esse corpus simplex, sed congeriem quandam ex lapidibus,

Metallis,

Metallis; ſalibus. Jam negari non poteſt, quod Metalla variis terrarum larvis ſint involuta, cùm etiam vel per artem eò redigi queant, ut ſub ſpecie terræ vulgaris & arenæ appareant, atqve artifices ipſos decipiant, ceu in plumbô, ſtannô & aurô per experimenta conſpicuum reddi poteſt. Sed mirum, quomodo Clariſſimus hic Autor materiam inventionis, quam Metallurgi inveniunt, & Docimaſticæ offerunt, à materiâ generationis diſtinguat, atqve aſſerat, ex materiâ inventionis Metalla, jam actu deliteſcentia, ignis vi excoqui aliisq; modis ſeparari, & ſub aſpectum venire; deinceps verò neget, generationis materiam, ex quâ generantur metalla, ſemper eſſe exhalationem, eò, quòd materia inventionis non ſit exhalatio, ſed ex mixtis ſubterraneis compoſitio. An fortean ſui oblitus? Neqve etymologiâ tueri ſententiam ſuam poteſt, quod ex ſe invicem Metalla generentur. Quando enim Metalla dicuntur quaſi *μετὰ τὰ ἄλλα*, quòd, *ubicunq; una invenitur argenti vena, inveniatur & alia*, ut Plinius derivationis reddit rationem lib. XXXII. Nat. Hiſt. Cap. VI. manifeſtum eſt, non de generationis, ſed inventionis materiâ verum exiſtere. Contingit tamen, ut pura etiam metalla, Græcis dicta *ἄπυρα*, eruantur, v. g. aurum, ſtannum, argentum, cuprum. Sed quomodo tunc, quærimus ex Burſerô, neganda erit exhalatio Metallorum materia, & ejus locô ex mixtis ſubterraneis aliis compoſitio adſtruenda? Inſtabat nihilominus, nullam eſſe, *quando ferrum mutatur in cuprum.* Reſpodemus, iſtam transmutationem non ita in proclivi eſſe. Poſito tamen, quod ſit transmutatio, quomodo exhalationem negabit, cum intima ſit penetratio neceſſe eſt. Manet itaqve, quod metallorum materia ſit exhalatio.

VI. Idem etiam de lapidibus ex genere Foſſilium adhuc ſentimus. Sed ecce, & hìc impugnare noſtram ſententiam aliqui volunt. Initio inquiunt: ſi fumoſa exhalatio la-

pidum exiſtit materia, partes eorum non cohærebunt, aut imbecilliter, absqve humoris beneficiô. Verùm non ſine cauſâ *levem* hanc adverſus Ariſtotelem dicit eſſe *dubitationem* Cæſalpinus. Committitur in eâ fallacia figuræ dictionis, quia altera propoſitio cum excluſione, altera ſine excluſione accipitur. Quod enim conſtat ſiccô tantùm, ejus partes non cohærent firmiter. Lapides verò ſiccô ſolô non conſtant, ſed & humidô, cùm aliàs partes eorum glutinari absqve humidô inter ſe invicem nequeant. Prædominatur tamen in eis terreum, uti ex liquatione manifeſtum eſt. Nam & inter metalla ferrum maximè terreſtre eſt, quia ad liquationem eget exceſſu ignis; plumbum verò & ſtannum maximè humida, quia facillimè liquantur. Idem dicendum videtur de lapidibus. Nam & illi igne non liquantur, niſi fortè ab exceſſu ignis, idqve propter inſitam aliquam humiditatem, quemadmodum de Pyrimacho & lapide molari teſtatur Ariſtoteles Lib. IV. Meteor. cap. VI. Multò minùs ſolvi poterunt aut liquari ab aquâ, quia inexiſtens humiditas non niſi ab igne ſolvitur. Unde firma adhuc ſtat concluſio contra ſupra num. III. poſitam Alberti materiam quorundam lapidum, quod terreæ dominantis ſint naturæ, non verò aqueæ. Deinde, ut alia mittamus, & hoc diſſentientes objiciunt: ſi lapidum materia eſt exhalatio ignita, etiam in aëre lapides generabuntur, cùm ibidem exhalationes accendantur in Cometas & ſtellas cadentes. Aſt ibidem nulli ſunt lapides, ut ſenſus docent. Igitur neqve exhalatio dicenda eſt lapidum materia. Sed & ad hoc dubium optimè reſpondet Cæſalpinus, cauſam aſſignando, ob quam in hôc locô nulli fiant lapides. Nimirum, quia exhalatio non cogitur in anguſtum, *niſi fortè aliquando*, addit, *in densâ nube id contingat, ut quidam referunt, ex eâ lapides cecidiſſe.* Contrà verò, quod incluſum in terrâ eſt, ob loci anguſtiam, dicit in lapideam ſubſtantiam

com-

dere omnia, præter aurum, vincit. Si autem Spiritus aliquis ex humiditate metallicâ eliciatur, is omnino adversatur vitali, quia perimit omnia animalia, sive in fodinis hauriatur, sive ex fornacibus, aut quomodocunque. Nequaquam igitur vita, qualis in vegetabilibus reperitur, Mineralibus adscribenda, sed omni potius privanda, &, quod inde sequitur, causâ quoque formali.

IX. Denique nec difficile erit judicium de fine vel causâ finali in Mineralibus. Si enim forma in iis non datur, à formâ verò proveniunt operationes, quæ sese exserunt per certa organa, quæ partibus constant dissimilaribus, sequitur, neqve finem Mineralium dari. Mineralia namqve partes habent tantùm similares. Ast quæ tantùm ex similaribus constant, nullum habent finem. Ita Meteora destituuntur fine, v.g. nix, grando, pruina. Quando enim nix in agros vel hortos decidit, atqve illos à frigore, tempore hybernô, defendit, fit illud per accidens, quatenus nimirum in agros istos vel hortos cadit; quando verò in scopulos aut fluvios decidit, finis nullus ipsius dici potest. Eôdem modô comparatum est cum metallis. Cum enim illa tantùm ex similiaribus constent, neqve illorum aliquis erit finis, nisi fortè etiam per accidens, ut cùm metalla ad utensilia, sales ad ciborum condimenta adhibentur. Certô tamen modô spectata Mineralia finem habere dici possunt. Duplici enim ratione considerari possunt: vel ut entia seu existentia, quæ generata jam sunt, & actu existunt; vel ut fientia, quæ generari adhuc debent. Non priori, sed posteriori modô finem habent: generatio enim ipsorum ad certum quendam finem tendit, qui est ipsa forma, per generationem introducenda. Hâc ratione lapis jam existens & à naturâ productus finem quidem proprium & per se nullum habet, sed prout fieri & produci debet, seu productio ejus, finem proprium habet, nimirum formam lapidis.

pidis.

pidis. Accedit præterea, quod natura non rarò iis, quæ genita jam ſunt, & per ſe finem nullum habent ac proprium, utatur ad proprium aliquem finem, ut ſaxis v.g. ad montium fulcimenta &c. Et hic finis Mineralium dici poteſt Cujus, Finis verò Cui, homo, cui uſum ſuum Mineralia præſtant, haud immeritò vocari poteſt, quia homo quodammodo omnium finis eſt, lib. II. Phyſ. cap. II. tex. 24. Exinde tamen nondum finem, ex quô in Mineralibus aliquid demonſtrari poſſit, agnoſcimus, quia non proprius, ſed communis eſt, qui ad demonſtrationem eſt ineptus. Quare ratum, firmumqve manet, duo tantùm cauſarum genera, materiam & efficientem, in Mineralibus reperiri. Quæ etiam Philoſophi noſtri mens eſt. Expreſsè enim lib. I. Meteor. cap. II. eorum, quæ circa mundum hunc inferiorem accidunt, duas tantùm conſtituit cauſas, quarum alteram dicit eſſe ὕλην, *materiam*, quam ὑποκείμενον καὶ πάσχον, *id, quod ſubjectum eſt & patitur*, appellat; alteram verò ὅθεν τῆς κινήσεως ἀρχὴν, *unde motûs principium* nominat, id eſt, cauſam efficientem, & ad virtutem eorum, quæ ſemper moventur, referri vult. Ex quibus omnibus facilè colligitur, quod Mineralia ſint ſubſtantiæ imperfectæ, ut materia, quia deſtituuntur formâ, quæ magis ſubſtantia eſt, quàm materia. Patet hinc etiam, quâ ratione Mineralia ſint definienda, per materiam nempe & cauſam efficientem, quibus tamen adjungenda eſt ſpecies affectionis. v.g. quod Metalla vapores ſint cum quâdam exhalatione à frigore congelati, & ſic conſequenter. Cœterum omnia hactenus dicta uberiorem & accuratiorem explicationem mereri, quilibet, accuratius ea ponderans, videt. Illam tamen, datâ in conflictu occaſione, diſcurſui reſervamus.

(o)

...śnie Wielmożny Kommissarzu Dobrodzieju!

Z...robione jeszcze jedno podanie względem zmniejszenia ... Dymowego z Eremu przesyłam tego Konszpt, ... roztropnej uwagze JW. Dobrodzieja — i proszę ... w tej mierze swoie łaskawe zdanie czy mam ... takową prozbę lub nie? —

...przy załączeniu moiego Nayniższego Uszanowania

...Bielany dnia 13 Grudnia 839 r